

tis, sed & Revelationem in Statu Christianismi, eò nimirum, qui Chri-  
 stianam decet Philosophiam modò, consulamus. Ratio secum ha-  
 bitans ad omne requirit vitium tum in intellectu scientiam circum-  
 stantiarum moralium, tum in voluntate volendi actum. Item;  
 cum ad virtutem non sufficiat unicus actus bonus, sed requiratur  
 habitus; ne vitium quidem sine hoc dari posse, similiter statuit.  
 Oppositorum nimirum, in generalibus, eandem esse rationem ubiq;  
 observat, ideoq; hinc aliam esse non posse, concludit. Verum enim  
 verò hæc ἀνεπισβεια ejus, mera est ignorantia. Nihil enim novit de  
 peccato originali; multò minùs in profunditatem ejus penetrare  
 potest. Utrumq; verò cum edoceamur in Statu Christianismi, re-  
 ctiùs etiam pleniùsq; in Christianâ nostrâ Philosophiâ Vitii naturam  
 cognoscere describereq; possumus. Postquam nimirum è Spiritu S.  
 audimus, peccatum esse ἀνομίαν; 1. Job. III. 4. ἀνομίαν, ibid. c. V. 17.  
 ulterius ad vitium in genere requirimus nihil, neq; in intellectu scien-  
 tiam, neq; in voluntate consensum; quemlibet etiam actum vitio-  
 sum pro malo jure meritoq; habentes; tamen gradum majorem  
 vitiositatis putemus esse, ubi aliquis ex habitu sciens & volens pec-  
 cat. Quàm utilis verò hæc sit methodus Christianæ Philosophiæ,  
 experimur, quoties cum Pontificiis de natura Peccati disputamus.  
 Hi enim in Statu humanitatis hinc loco tantum subsistunt, nullumq;  
 quod à sciente & volente non sit commissum, agnoscunt. En reum  
 id apertè confitentem; *Andradium* nimirum, & quidem in ipso  
 Concilio Tridentino ita *Orthodoxarum Explication: Lib. III. fol. 80.*  
*fac. 6.* scribentem: *Qui voluntarium illud (peccatum & quidem*  
*semper) esse & à sciente committi pernegat, hominem propria & ex-*  
*cellentissimâ naturâ spoliât, atq; cum brutis animantibus ac feris con-*  
*nectit & copulat.* Sic verò utroq; oculo ad Statum humanitatis re-  
 spiciens, Status Christianismi prorsus dememinit; unde quoque  
 primò statim loco summam Philosophorum omnium consensionem  
*ibid.* ponit.

#### TH. X.

Postquam autem hæc viâ cognovimus vitium plenissimè; op-  
 positum, ejus, nimirum virtutem, non possumus non exactissimè quo-  
 que cognoscere, hujusq; naturam non minùs ἐν ὁρθότητι, sicut illius  
 ἐν ἀνομίᾳ collocare. Valet enim consequentia: Si vitium consistit  
 in aberratione à lege, virtus ponenda est in rectitudine secundum